



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1729. usque ad annum 1731

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1785

VD18 13322648

§. 80. Caroli Collicolæ Cardinlis obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67677)

Sæc. XVIII.
 A. C. 1730.
 ciolo Averfam traductum in ejus Ec-
 clesia Sponsa quiescit, erecto magnifico
 prorsus tumulo; quamvis Cardinalis
 testamento cavisset, ne lapideum ex-
 geretur monumentum aut alia excu-
 peretur epigraphæ præter hanc: *Opus
 Innici Caraccioli Cardinalis.*

§. LXXX.

Caroli Collicolæ Cardinalis obitus.

Carolus duxit genus e Patritia stirpe
 Collicolarum, qui in Umbria top-
 sagoque clarissimi, Religione pii, literis
 conspicui, ac vetustate celebres per
 plura sæcula floruerunt. Carolus noster
 Patrem habuit Joannem Baptistam, &
 Matrem Annam Valentiam de Bar-
 lettis. Natus est anno Christi millesimo
 sexcentesimo octogesimo secundo
 Spoleti, quod ditionis Ecclesiasticæ
 oppidum est. Ibidem in Christianæ
 doctrinæ præceptis, ac literarum rob-
 oris eruditus, anno ætatis decimo
 tertio Romam venit, ut in Collegio
 Romano sacratioribus disciplinis expo-
 laret animum. Curriculum Peripatet-
 ticum emensus erat, cum jurispruden-
 tiæ animum intenderet, & quidem tan-
 egregio profectu, ut Doctorum hono-
 res emeretur. Anno hujus sæculi
 septimo Præsulum Romanæ Curiae in-
 stitu-

fitutum amplexatus, Protonotariis Sæc. XVIII.
 Apostolicis accenseri meruit, quo in A. C. 1730:
 munere opportunam nactus erat occa-
 sionem non uno specimine demonst-
 randi, quam vasta esset ejus eruditio,
 quam impensum æquitatis studium.
 His diebus clarus, in S. Congregatione
 de Propaganda Pro - Secretarii munere
 fungi jubebatur, aucto demum merito
 Clericus de Camera, ac Romanæ Ur-
 bis Ædilis a Clemente XI. renunciatus
 est. Paulopost primo Pro - Thesaura-
 rium Generalem ac Præfectum rei ma-
 ritimæ Benedictus XIII. constituit, sub
 quo etiam Pontifice Carolus Pontem
 sancti Angeli ruinæ proximum firmis-
 sime instauravit, & lacum Cinæio
 Monti adjacentem, effoso canali ad
 Maris viscera usque conduxit, non sine
 magnæ Urbis utilitate, & majori Pi-
 scatorum emolumento; tanta enim pi-
 scium marinorum copia affluerat, ut
 Piscatoribus ingens inde lucrum, civi-
 bus annona leviori pretio, & ærario
 Apostolico quotannis redditus quinque
 aureorum millium accederent: Portum
 quoque Centumcellensem ex alluvione
 sordibus plenum expurgavit, indeque
 nautis facilem ingressum aperuit, &
 fidissimam navibus stationem dedit.
 Pro tot laboribus in commodum publi-
 cum exantlatis Benedictus XIII. qua-
 tuor

Sæc. XVIII. tuor aureorum millia, quæ lacus pri-
 A. C. 1730. stino aquarum commercio restitutus
 produxerat, præclaro huic Restaura-
 tori ad dies vitæ assignavit, ac demum
 Sacro Purpuratorum Senatui adscripsit,
 eumque pluribus Patrum Cætibus an-
 numeravit. Insuper præter Abbatem
 S. Stephani eidem, cum ob paupertatem
 Cardinalatus decorem ferendo im-
 par esset, singulis mensibus ex ærario
 Pontificio centum aureos contulit. In-
 credible dictu, quam fideli ac indust-
 riosa commissi officii administratione
 Carolus ampla Pontificis beneficia demereri
 studuerit; nam laboris patientissimus
 commercium amplificare, ædificia,
 quæ moliebatur, præfens dirigere, pu-
 blicas ædes pro architectonica sua pe-
 ritia ad culmen feliciter perducere stre-
 nue adlaboravit. Hinc frequenter
 morborum molestiæ, & præcipue he-
 betata oculorum acies; cum enim in
 Ælii Pontis restauratione continuo præ-
 sens adesset, ex ardenti solis inter
 aquas Tyberis reflexione, & radiorum
 æstu adeo imminutus erat oculorum vi-
 gor, ut aliquamdiu videndi facultate
 destitueretur, & propterea non nisi e-
 ruditorum alloquio, & familiari eorum
 consensu dolorem suum temperare con-
 geretur. Spoletum profectus, ut pa-
 trio aere exhaustas vires reficeret, ex
 oculo-

oculorum infirmitate tantisper conva- Sæc. XVIII.
luit, unde Romam reversus, quamvis A. C. 1730.
thesaurarii munus dimisisset, sedulo
tamen cum Corradino & Lercario
Cardinalibus necnon cum Negronio suo
Successore de opportunis exhaustum
marium restaurandi mediis consilia
contulit. Congregationibus quoque,
quibus erat adscriptus, interesse non
desistit. Tandem vero absolutis Sacris
comitiis in periculosum incidit mor-
bum, ex quo etiam die decima nona
Octobris decessit anno ætatis quadra-
gesimo octavo nondum expleto. Se-
pultus est in Ecclesia S. Mariæ Montis
Sacri in Sacello ejus Domus Gentilitio.

§. LXXXI.

*Augustinus Cusanus Cardinalis hoc
anno vivis ereptus.*

Augustino genus erat clarum & cum-
primis Nobile, ex Marchione Octa-
vio & Margarita Billia, optimis Pa-
rentibus. Primam lucem Mediolani
aspexit die vigesima Octobris anno Sa-
lutis nostræ millesimo sexcentesimo
quingentesimo quinto. Præcipua pie-
tatis officia, ac literarum rudimenta
hausit in patria, inde anno ætatis duo-
decimo Romam delatus in Seminario
Romano altioribus scientiis operam de-
dit,